



DISSE<sup>15.</sup>  
DISSERTATIO MEDICA IN AVGVRALIS  
DE  
EMPYEMATE

QVAM,  
CONSENSV  
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ  
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA  
PRAESIDE

DN. D. HERM. PAVLO IVCHIO

SACRI PALATII CAESAR. COMITE  
FACVLT. MED. SENIORE ET ASSESSORE PRIMARIO  
PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROFESS. PVBL. ORD.  
SERENISS. SAXON. DVC. VINAR. ET GOTH. CONSILIAN. AVL. ET ARCHIATRO  
NEC NON ACAD. CAESAR. NAT. CVRIO. COLLEGA  
PATRONO ET PROMOTORE SVO ÆTATEM  
DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS  
ET IMMVNITATIBVS  
PVBLICE RITE CAPESSENDIS  
PLACIDÆ ERUDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR

IOH. CHRISTOPH. HENNIGK  
LIEBENWERDENSIS-SAXO.

IN AUDITORIO MAIORI COLLEGII MAIORIS  
HOR. CONSVET.  
DIE IV. MAII ANNO M DCC XLVIII.

ER FORDIAE  
TYPIS IO. CHRISTOPH. HERINGII ACAD. TYPOGR.





DISSERTATIO MEDICO-CHIRVRGICA  
DE  
EMPYEMATE.

§. I.

**S**icut plerique dissectorum, id, quod a jugulo ad pubem, & posterius a cervice ad coxam, est, *truncum corporis humani* adpellitant: ita partem hujus superiorem, quam septum transversum ab alvo dividit, & duodecim costae utrimque, cum interjacentibus musculis, os pectorale anterius in medio, duodecim vertebræ dorsi retrorsum, jugula superiorius, circumscribunt, *pectus vel thoracem* uno ore solent pronuntiare. Figura ejus cono haud dissimilis truncato adparet; a) siquidem superiorius acuminata, in basi vero non nihil latior est. Nec incongrue cum sphæroidis

A 2

---

a) vid. Jac. Benign. VVINSLOOV Exposition anatomique T. III. de la Poitrine ne, §. 6.

roidis forma convenire aliquibus videtur: os pectoris enim paulo compressius existit, & diaphragma, basin sphæroidis constituens, ab ensiformi sterni cartilagine, oblique ad duodecimam spinæ dorsalis vertebram dispositum est.

## §. II.

Cavum, dictis partibus terminatum, a membranis interius investitur, quas Græci *πνευμόνας*, hodierni dissecatores *Pleuram* nominare consueverunt. Est membrana densa, simplex, b) in convexa sui parte, ubique, cellulosa quadam tela, plus minus cincta; c) qua mediante, superficie internæ costarum, ossis pectoris, musculorum intercostalium, infracostalium, sterno-costalium, thymo, pericardio, vasis, vertebris & gibbositatib; diaphragmatis adnascitur. Duos saccos efformat oblongos, superius utrimque ad primam costam, terminatos, ubi se invicem attingunt, & non nisi cellulosa quadam distinguuntur tela. Uterque saccorum oblique est positus, d) ita, ut dexter mediæ sterni parti adnectatur, & simul latior sit; sinister vero angustior, cartilaginibus costarum adhærens: id quod non nisi, ob obliquum cordis situm, factum esse videtur. *ludem*

- 
- b) Antiquiores ex duplicit lamina conflatam esse, falso crediderunt. *Conf. COLVMBVS de re Anat. L. XI. c. 3. SPIGELIVS Anat. C. H. Libr. IX. C. 3. Tb. BARTHOLINVS Anat. reform. L. II. c. 4.*  
 c) Qua costis adhæret, ibi fere nulla deprehenditur; qua carnibus, copiofer est; item ad os sterni, vertebras opus spissum reperitur.  
 d) Hunc situm obliquum summo studio exposuit VVINSLOVVIVS in *Comm. Acad. Reg. Sc. Paris 1715. p. 309. edit. Amstel. Conf. quoque GARENGEOT Anatomie des Siffrers Tab. XII. fig. 2.*

dem sacci inferius a se invicem divergunt, & intervalum relinquunt, quod triangulum rectangulum fere effingit. Postea in diaphragmate terminantur, cuius dextro lateri dexter saccus adeo arcte, absque interveniente cellulosa tela, adhaeret, ut difficile sit dissectori, illum plenarie absque ruptura discerpere. Uterque, dexter & sinister, antrosum brevius, longius retrorsum descendunt, ob situm transversi septi obliquum. Centrum ejus aponevroticum hac membrana prorsus non cinctum esse, haud ignorari debet.

## §. III.

Ubi utriusque sacci (§. 2.) laminæ internæ sibi opponuntur, *Mediastini* nomen accipiunt, tam *antici*, quam *postici*. e) Anterior & superior, sub osse sterni, a se invicem remotæ, multam in suo spatio continent pinguitudinem, vasa, thymum, atque glandulas globatas. Sub osse sterni secundo, fere sibi adglutinatur, ita, ut perluceant. Quemadmodum vero ipsi sacci oblique sunt positi; ita quoque *Mediastinum* thoracem non in duas dividit partes æquales, sed ad sinistrum latus inclinatur, inprimis, ubi ad cartilaginem septimæ costæ veræ perventum est. In dorso, secundum ejus longitudinem, laminæ spatium triangulare relinquunt, arteriam comprehendens magnam, stomachum, ductum thoracicum, & venam absque pari, cum pinguitudine copiosa. Deinde ad *Pericardium* terminantur, quod tertium thoracis saccum constituit, qui

A 3

a cel-

e) Has laminas nonnulli veterum dissectorum, intersepientes vocarunt, ex quibus nominare saltem licet *VESALIVM* in *C. H. fabrica L. VI. c. 3.*  
Græcis dictæ sunt *dιαφέροντες*.

a cellulosa non solum, sed etiam ab ipsa pleura, laxe exterius cingitur, hincque externa ejus superficies paulo asperior fit. Spatium triangulare (§. 2.) hunc saccum comprehendit. Basis ejus lata est, subrotunda, sinistrorsum angustior, dextrorsum latior, cum septo transverso, in primis ejus nervosa parte, mediante tela cellulosa, connexa. Ut cor libere moveri queat, paulo amplior est ipso; sursum paulo angustior fit, &, ubi supra cor pervenit, in appendicem terminatur obtusam acuminatam, f) ibique cum octo magnorum vasorum tunicis, ex quibus cor pendet, connectitur, & dein in cellulosam fabricam mutatur. In hoc sacco oblique & fere transversim positum est cor, quod a quarta dorsali vertebra ad diaphragma pertinet. Basis, quae latior est, dextro lateri obvertitur; apex sinistro, versus costam sextam directus. Facies inferior, superiore planior, septo transverso incumbit.

## S. IV.

*Vasorum* nunc paucis est mentio facienda, quibus dictæ membrane (§. 2. 3.) præditæ sunt. Arteriæ, ex magna arteria productæ, *intercostales* nominatae, in sulco, cuiuslibet margini inferiori costæ insculpto, positæ, totam costam cum sua cartilagine, interjacentibus carnisibus, succingentibusque membranis, irrigant, & ad sternum discurrent. Communicationem alunt cum mammariis internis ac diaphragmaticis. Mediastino sua peculiaria sunt vasa, eodem nomine prædicta, quæ ab arteriis subclaviis plerumque educuntur.

f) GARENGEOT I. c. T. XIII, f. 2, H,

tur. Nec minus humorem rubrum ipsi impertunt arteriae mammariae internae, diaphragmaticae, intercostales atque oesophageae. Arteriae, ad pericardium pertinentes, e vasis, diversi nominis, ortum trahunt, nimirum e mediastinis anticis, posticis, phrenicis majoribus, thymicis, oesophageis ac bronchialibus. Venae, quas intercostales arteriae reflectunt, in azygon sanguinem deportant, praeterquam, quod superiores finistræ quædam in subclaviam ejusdem lateris confluant. g) Venarum reliquarum trunci similes sunt. Nervi, a dorsalibus & sympathetico magno orti, in maxima copia undique dispersi, hic reperiuntur, & parumper cum pari octavo communicant.

## §. V.

Pulmones sunt duo viscera spongiosa, intra binos pleuræ fuccos obliquos contenta, (§. 2.) figuram eorum æmulantia: siquidem basis lata est, apex autem obtusus, ad costam primam terminatus. Liberi ex magnis vasis aeriferis æque ac sanguineis, suspenduntur intra suos cancellos. Facies eorum anterior plana est, lateraliter ad convexitatem vergit: interna superficies est cava, ad involucrum cordis cum ipso corde comprehendendum. Membrana externa, quæ pulmones cingit, est a pleura, tenuis atque simplex. Pulmo dexter, major est sinistro, ob majus spatium, intra quod continetur; in tres lobos divisus. Sinister contrario modo se habet. Arteria pulmonea, e dextro corde orta, ductu propemodum recto dirigitur ad pulmones, & statim post

g) Hunc r̄ivum Jo. Mar. LANCISIVS hemizygæ nuncupat in Epis. ad Morsagnum de Vera fine pari. p. 82.

post egressum ex corde, in duos ramos, deinde in plures, dividitur, viam & distributionem vasorum aërifero-  
rum sequentes, donec corpus reticulare efformant. h)  
Producuntur in *venas pulmonales* vocatas, capacita-  
te illis minores, quæ sanguinem in pulmonibus con-  
densatum, in quatuor ramos majores similes reducunt,  
inde in saccum venosum pulmoneum, auriculam &  
cor sinistrum. Perrepunt quoque pulmones *arteria bronchialis* & *vena ejusdem nominis*. Illa a RYVSCHIO  
resuscitata, i) oritur modo ex arteria aorta descendente,  
supra supremas arteriarum intercostalium, aut infra  
eas; modo ex aliqua intercostali; interdum ex subcla-  
via; interdum ex oesophagea aliqua. Communicatio-  
nem alit cum pulmonalium ramusculis, & sanguinem  
suum transfundit vel in venam bronchialem, k) vel  
azyga, vel hemiazyga, vel subclaviam, vel cavam.  
*Aspera arteria*, a fauibus ad pulmones lata, hos su-  
spensos tenet, &, quando thoracem ingreditur, ante  
illam positum est os pectoris, ac principia musculo-  
rum sterno-cleido-mastoideorum. Porro per interval-  
lum triangulare, quod oppositæ laminæ pleuræ sub  
primo osse sterni formant, (§. 3.) progreditur, pone  
thymum, ad quartam usque vertebram dorsalem, ubi  
ad dextrum latus paululum vergit. In binos nunc  
majores dividitur ramos, quorum dexter brevior est  
sinistro, l) & in tres iterum ramos finditur, sinister  
vero

h) conf MALPIGH. Epist. 1. & 2. de pulm.

i) Observat. anatomi. post dilucidat. valvular. Cent. 4. obs. 15.

k) a multis haud visa est, & HALLERVS dubitans de ea loquitur, Com-  
ment. ad Barb. inst. Vol. II. p. 164. a)

l) VVINSLOV. l. c. num. 128.

vero in duos, sensimque plures; donec denique in minimos divisæ, inter arteriæ pulmonariæ superiores, ac venæ ejusdem nominis, radices distributi inferiores, pulmonum vesiculas constituunt.

## §. VI.

Expositis nunc iis, quæ, ad faciliorem dicendorum notitiam, necessaria erant; ad specialiorem objeci considerationem nos accingimus, & imprimis, quid sub Empyemate intelligendum nobis sit, præmoneamus. Veteribus <sup>imprimitur</sup> denotabat quamlibet puris, in quocunque loco collectionem; m) interdum vero non nisi ad eam collectionem purulentorum restringebant, quæ sit in cavo thoracis inter pulmones & membranas, costas succingentes. n) Hanc significationem nostram quoque facimus, & simul sub ea comprehendimus chirurgicam, qua integumenta thoracis cum carnis intercostalibus inciduntur, ad educendum pus aut alium, cuiuscunque sit indolis, humorem. o) Igitur, cum puris generatio supponat præcedentem inflammationem, aut effusionem & corruptionem sanguinis in aliqua sede stagnantis; statim liquet, quod empyema post prægressam inflammationem pulmonum, pleuræ, mediastini, diaphragmatis, pericardii, & hepatis fieri possit; quid? quod a vulneribus pectoris aut contusionibus ipsi illatis, haud raro originem suamat.

## §. VII.

m) COEL. AVRELIANVS de acut. L. 2. c. 17.

n) conf. FOESII, Oeconom. Hippocrat. pag. 125.

o) vid. Jo. Bapt. VERDVC Chirurg. P. I. c. XIV. p. 36.

## §. VII.

Inflammati sunt pulmones, si in eorum vasis arteriosis, (§. 5.) lymphaticis, humores stagnant, & mortus vitales inde notabile augmentum capiunt, id quod cognoscitur ex dolore pressorio, obtuso, in terga & scapulas protenso, dyspnoe, anxietate & ægra expectoratione. Peripneumoniam plerique hunc morbum vocare solent. Vasa, inflammationi suscipienda apta, sunt arteria pulmonalis & bronchialis, ut &, quæ ex earum lateribus exporrigitur, lymphaticæ. Si in arterioso-sanguineis humor ruber subsistit, vera dicitur peripneumonia. Verum, si pituita lenta, arterias lymphaticas obstruit, & pulmones infarcit, notba adpellatur. Quod si in his affectibus nulla pituita, sanguine intermixto, expurgit; p) neque alvi fluxu, nec urina, nec sudore, intra quatuordecim dierum spatium, excertnitur: humor stagnans vascula tenuia disrumpit, cum ipsis in pus dissolvitur; quod, si non procul a superficie pulmonum contingit, illos erodit, perforat, & in pectoris cavum stillat, sicque iævus prodicit. q) Similiter sputum cruentum, a vasculis arteriosis ruptis, excitatum, & diutius intra pulmonum spongiosam substantiam detentum, illam arrodit, unitatem laedit, & viam sibi parat atque exitum, ubi minorem resistentiam invenit. r)

## §. VIII.

Pleuritis vera dicitur nobis inflammatio membranarum,

p) humor in principio flavescens, postea albicans, existit.

q) Felic. PLATERI obf. L. 3. p. 715-716. HAGENDORNII obf. Cent. 1. lib. 95. p. 138. 139. Ad Med. Berol. Dec. I. Vol. III. p. 9.

r) PLATERI Prax. L. 3. c. 5. Ad Med. Berol. I. c. p. 29.

narum, costas succingentium, cum febre acuta, continua, difficulti respiratione, dolore acerrimo, punctorio, lancinante, s) in primis in latere, pulsu duro, frequenti, tussi interdum humida, t) interdum sicca, stipata. Si doloris fedes in carnibus costis interjacentibus, aut suprajacentibus, est, & a lympha vel fero, in has partes effuso, oritur, spuria appellatur pleuritis & ad catarrhos pertinet.

## S. IX.

Sectiones cadaverum monstrant, peripneumoniam interdum cum pleurite vera jungi; u) qua re explorata, nonnulli præpostere judicarunt, pleuritidem semper comitem habere peripneumoniam; & eo lubenter autores hanc sententiam adsumunt, w) quia inde ipsis facile explicari posse videtur, quomodo pus ex lateribus in bronchia derivetur. Eadem observationes ansam præbuerunt, ut lis nata sit de veræ pleuritidis (§. 8.) sede. Nam post *Vincentium BARONIVM*, x) *Friedericus HOFFMANNVS* certo statuit, pleuritidem veram

B 2

non nisi

- e) Dolor in inspiratione maxime intenditur; ratio vero hujus effectus, ex structura partium, maxime peti debet: Pleura enim & mediastinum, in toto suo ambitu, copiosis vasculis & nervis, disseminata sunt. Arctior vero harum, membranarum ad costas adstrictio, rivilos & nervos, quasi rigidos efficit: hinc a quacunque levi causa pressi, tensi, acerbissimos dolores excitant.
- f) Si morbus benignus est, initio plerumque pituita, deinde flavus humor, cum sanguine remittens, aut purus sanguis, denique purulenta, tussi ejiciuntur.

u) BONNETI Sepulchr, Anat. L. 2, Sect. 6, obs. 5, & 9. RIVERII opp. Prax. L. 7, c. 2 p. 300. Ad. Med. Berol. Dec. 1, Vol. 6, p. 96. Vol. 7, p. 84.

w) PLATER. Prax. L. 2, c. 10, HOECHSTETTERVS obs. Dec. 7 Compositam hanc inflammationem primum Pleuroneumoniam adpellavit, RICOLANVS in Encheir. Anat. L. 3, c. 4.

x) Libr. de Pleuroneumonia,

nominis consistere in inflammatione membranæ, superficiem pulmonum succingentis; (§. 5.) & peripneumoniam a profundiori pulmonum stasi inflammatoria generari. y) Hanc sententiam multis momentosis rationibus defendere studuit, imprimis Petri SERVII anatomis observationibus innexus, z) qui ex sectionibus trecentorum pleuriticorum, quas Romæ instituit, certior factus est, in pleurite lobum pulmonis semper infectum, aut pure repletum fuisse, pleura aut nihil omnino ad sensum vitiata, aut leviter tantum quodam modo inquinata. Verum enim vero, nondum satis exploratum est, an ii, qui pro pleuriticis habitu fuerunt, tales quoque revera existenterint.

## §. X.

Quod autem pus ex lateribus in bronchia derivari, quid? quod ex ipso pectoris cavo per tussim extundi possit, absque quod pulmonum corruptio semper praesens esse debeat, sequentia suadent phænomena: 1) observationibus certo compertum est, sanguinem tam ex pectori, quam ex latere, tussi ejectum fuisse. a) Quicquid vero valet de sanguine, illud etiam sub iisdem circumstantiis, de pure affirmari potest. 2) Vena azygos maxime apta est, ad pus elateribus ad bronchia deferendum; id quod HIPPOCRATES jam judicavit, b)

inquiens: αἵδια δὲ ἀπὸ διατάσσον τῷ φλεβῶν τῆς μὲν πλευρίδος ix

y) vid. ejus Diff. de Pleurite & Peripneumonia Hal. 1699, & Medic. Systemat. T. IV. P. I. pag. 416. §. 2.

z) vid. VVELSCHII Dec. I. curat. 4.

a) vid. CELSVS L. 4 c. 4. §. 5. ARETAEVS de morb. acut. L. 2. cap. 2. COEL. AVREL. de chron. L. 2. c. 9. RIVERIVS l. c. ROLANVS l. c. Mifell. N. C. ann. 6. obf. 41.

b) L. i. de morb. Seç. 5. p. 461.

quæ ita latine convertimus: exscreatur autem, distentis venis; in pleuritide quidem ex iis, quæ in latere sunt. 3) Quas Hippocrates vias non nisi divinatus est, LANCISIVS experimento quodam egregie suffulcit. c) Quod scilicet mulierculis, Romæ potissimum solemine sit, dolens latus in pleuritide oleo inungere, & intercostales carnes, ab osse pectoris, ad dorsum usque pollice fricare, quo facto, sanguinem ut plurimum per tussim extundi, idque ideo contingere, quod sanguis pressione in venam sine conjugé coactus fuerit. d) Quod autem pus pleuriticorum non in venas pulmoneas, sed potius in asperæ arteriæ ramos propellatur, explicatu haud difficile est, si ea considerantur, quæ in statu sano cum excretionibus pulmonalibus contingunt. Eadem enim viæ, idem modus esse debet, quo morbosa hæc secretio peragitur. Vasa adsunt in pulmonibus, quæ humorem serosum perpetuo, in bronchia effundunt, & ex arteriæ pulmoneæ ramis producuntur, intra quæ, præsente affectu inflammatorio, humor serosus magno impetu, partim ab auctis motibus vitalibus, partim ab intensiori respiratione, deferitur & in vesiculas destillat. Humor iste serosus, magna copia huc allatus, canales notabiliter distendit, & in initio tenuis excernitur, sensim vero spissescens. Hinc mirum haud esse debet, quod pus per eadem vascula, sensibiliter jam dilatata, feratur. Licet autem purulenta per venam sine conjugé in cavam, inde in cor,

B 3

cor,

c) l. c. p. 88.

d) conf. RIVINI diff. de Thorac. empyem, §. 22, Lips. 1886, Miss. N. C. Dte. I.  
ann. 3. obf. 113.

tor, inde in arteriam pulmoneam delata, ex hac in arterias seroso-lymphaticas, & inde in vesiculas destillant; tamen plerumque multum in venas quoque redundat pulmoneas, quod deinde per reliquum corpus in alia colatoria transfunditur. e) Observationibus enim crebrioribus luculenter constat, purulenta, in cavo pectoris collecta, per alvum f) pariter ac cum urina g) excerni. Quid? quod, non omittendum est, quid diligentiores Practici de aliis metastasisibus puris e pectori in alias corporis sedes, memoriae tradiderunt. BAGLIUS enim observavit peripnevmoniam abscessu pone aures solutam. h) RIVERIVS vidit pus per uterum cum sanguine effluxisse. i) Ut taceam, purulenta ad superficiem corporis, forma pustularum k) depor-tari, aut per abscessum in alis, in umbilico, solvi.

## §. XI.

Ex modo dictis concludere licebit, quod, si pus e pectoris cavo ad dissita loca derivatur: multo minus de eius transitu ad pulmones dubitandum est. Huic operi structura pororum, membranam pulmonum ob-sidentium, maxime favere videtur, quibus humores viscidi, crassi, in pleurite & empyemate adhaerent;

id

e) RIVINI diff. cit. §. 31. 32.

f) GALEN. de loc. affect. L. 6. c. 5. STALPART van der VVIEL Cent. I. obs. 34. MARCHETTIS obs. med. chirurg. obs. 43.

g) HIPPOCRATES de morib. L. 1. p. 459. ANATOLVS LVSITANVS Cent. 4. cu-rat. 64. BENIVENIVS de abdit. rer. cauf. cap. 43. PETR. BORELLVS obs. rar. Cent. 1. obs. 17. RHODIVS obs. cent. 2. obs. 10. &amp; 13. MARCHET-TIS L. c. obs. 46.

h) Prax. Med. L. 1. c. 2. §. 10. &amp; c. 9. Ephem. N. C. Cent. 3. obs. 138.

i) obs. med. Cent. 1. obs. 73. p. 577. cent. 2. obs. 63. p. 599.

k) vid. PETR. FORESTI obs. L. 16. obs. 40.

Id quod sit, si pulmones in inspirationis actu explicantur, & lateribus pectoris, ejusque cavo, undique adponuntur. In exspiratione autem, pulmonibus collabentibus, adhaerentia, per poros nunc patulos, motu pectoris, propelluntur, ex his in cellulas, quæ in pulmonum ambitu sunt, tandemque in tracheæ vesiculas. Maxime nobis arident, quæ doctissimus GÜNZIUS circa hanc rem judicavit: 1) Scilicet poros membranæ pulmoneæ, quasi infundibuli formam habere, hinc, pulmonibus in inspiratione expansis, internas angustas tubulorum productiones, tamquam valvulas, ostia claudere, nihilque effluere sinere, in exspiratione autem aperiri, & puri aditum præbere. Unde tam possibilitas derivationis puris ex pectori in bronchia, quam actualitas luculenter confirmari nobis videtur.

## §. XII.

Si inflammatio septum transversum occupat, aut eam membranæ costas succingentis, partem, qua illud obregitur; haud raro abscessus inde factus, ruptus, pus suum in cavum thoracis transfudisse, observatus fuit; sive ex paraphrenidite in empyema conversio facta. Similiter mediastinum (§. 3.) pars pleuræ continua, eundem sœpe patitur morbum, & materia crassa, viscida, purulenta, aut interstitiis mediastini sub sternio (§. cit.) reconditur, aut, iis ruptis, in saccum pleuræ evomitur. Huic affectui, saccus ille pectoris tertius, pericardium nominatus, (§. 3.) obnoxius quæque esse deprehenditur. Insuper etiam hepar, in sua superficie, qua septo medio contiguum est, inflammatur interdum,

<sup>1)</sup> in diff. de derivatione puris ex pectori in bronchia, §. 6. p. 26. Lips. 1738.

dum, hocque simul afficit, & eodem modo, ac cum pleura & pulmonibus fieri assolet, ipsi adnascitur, & orto apostemate, in cava pectoris, pus suum effundit, quod saniosum est, & cineritium.

### §. XIII.

Inter causas, quibus empyema producitur, referenda etiam sunt *vulnera pectoris* m) & vexata. Si illa in pulmonis viscera penetrarunt, humor effunditur in saccos thoracis, qui, nisi statim evocatur, sed vulnus intempestive conglutinatur, in corruptionem putridam degenerat. Si quando pulmones læsi non fuerunt, sed vulnus oblique descendit, super carnes, quæ costis interpositæ sunt, aut intra illas, haud raro pleura, effuso sanguine & intra carnes stagnante, eroditur, puse que dein in cava thoracis deponitur; id quod imprimis accidit, si humorï corrupto, ad externa egressiuro, via quacunque arte, impeditur, tumque empyema gignitur. Porro ad ejus generationem ansam præbet læsio ista, qua durum, obtusum corpus, multa vascula, in exterioribus pectoris sub cute confregit & attrivit una cum solidis: *Contusionem* nominant; qua liquor in interstitia atque cellulas effunditur, &, si integumenta adhuc cohærent, sub illis stagnat, & calore, clausu, motu, qui in pectore perpetuo viget, in corruptionem ac putredinem abit, hinc carnium, pleuræ, maceratio, ero-sio, puris destillatio, empyema.

### §. XIV.

Sunt empyemati sua peculiaria signa, ex quibus tam

m) vid. casum in de la MOTTE Tr. de Chirurg. T. II. obs. 82. P. 326.

tam futurum, quam præsens cognoscitur. Illud prænuntiant

1) morbi pectoris inflammatorii prægressi, (§. 7. 10.)  
nulla excretione critica soluti.

2) sanguinis detractio omissa, aut justo tempore,  
modo, quantitate, haud recte administrata; dein cor-  
pus medicamentis incongruis affectum aut nullis pla-  
ne depuratum.

3) tussis sicca, nihil emoliens, & respiratio vehe-  
menter impedita, cum metu suffocationis & summæ  
anxietatis.

4) febris languida sicca, haud plenarie remittens,  
sed vague recurrens, præsertim noctu increscens.

5) locus, qui antea acute doluit, gravativo nunc  
& obtuso dolore oppressus.

6) adpetitus prostratus, sitis major desinens, pu-  
rulentus in ore sapor. n)

Ex his coniunctim sumtis præfigire licet, empy-  
ema certo futurum esse; tempus vero prædicti nequit,  
siquidem, incertis diebus id fieri, ex observationibus  
constat. Interdum enim empyema nascitur die septi-  
mo, o) octavo, p) nono, q) undecimo, r) quartodeci-  
mo, s) vigesimo, t) quadragesimo, sexagesimo. u)

§. XV.

n) GALENVS de loc. affect. L. V. c. 3. RIVERIVS l. c.

o) FORESTVS l. c. le DRAN obserbat. T. I. obs. 32.

p) la MOTTE l. c. T. I. obs. 42.

q) BONETTI sepulchret. p. 545. obs. X.

r) AB Med. Berol. Des. I. Vol. 6. p. 67. Det. II. Vol. 8. p. 32.

s) Jo. LANGII Epist. medicin. L. II. ep. 40. p. 743.

t) HIPPOCRATES ScG. V. aphor. 8. ARETÆVS L. I. c. 10.

u) id. Cœac. præmol. §. 402.

C

## §. XV.

Ad ea indicia, ex quibus praesentia empyematis cognoscitur, pertinet:

1) tumor ut plurimum, in latere, pure intento, apprens, w) imprimis, si pleuritis vera suppurationem praecesserit.

2) pondus materiae, supra septum medium fluctuantis, illud prementis, hinc novam tussim, dyspnoeam, dolorem in dorso, ubi diaphragma annexum est, excitantis.

3) decubitus in latus affectum jucundior. x)

4) humor, motu ægri quoque, hinc inde fluctuantis.

5) materiae purulentæ ex profundo thoracis, per tussim, expulsio. y)

6) notæ in externis corporis partibus adparentes, scilicet, oculi caví, genæ rubentes, pedum manuumque digiti calentes, unguis adunci, abdomen intentum, tumores pedum frigidi supervenientes, pustulæ superficiem corporis obſidentes.

## §. XVI.

De notis, quæ sanguinis in cavum pectoris ex vulnere collectionem ostendunt, non attinet, multa dicere, siquidem res plerumque manifesta est. Hoc enim factum esse,

w) RIVIN, diff. cit. 3. 6. la MOTTE l. c. obs. 42. p. 219. le DRAN l. c. obs. 30. Ad. Med. Berol. Dec. I. Vol. 3. p. 11. & 33. Vol. 6. p. 70. ubi pro signo pathognomonicō habetur.

x) equidem semper ex hoc signo ad empyematis praesentiam concludere licet: interim tamen hoc signum interdum absit, quamvis pus in pectori sit: hoc confirmat le DRAN l. c. obs. 31. 32. Quando enim pulmo mediastini adnatus est, decubitus in utrumque latus haud difficulter sit.

y) Ad. Med. Berl. l. c. p. 22.

esse, impetus sanguinis, quem æger, moto corpore, sentit, satis indicat, & homo erekto capite esse haud potest, absque sensu molesto: ubi autem ita illud habet, inspiratio facilior est exspiratione. Verum enim vero, si sanguinis major motus est, isque pulmonum expansioni multum resistit, spiritus, erekto corpore, faciliter trahitur, quam decubitus. Nam, si decubitus supinus est, sanguis totum pulmonem premit & strangulat; si vero caput subline habetur, diaphragma solum premitur, pulmo vero liberius paulo expandi potest.

## §. XVII.

Quid in nostro affectu sperandum sit, paucis nunc dici oportet. Si soli naturæ res relinquitur, ejus vires saepe non satis valent, morbum & inde pendentes effectus abigere; præsertim, quum ipsa materia, intra peccatum contenta, viscera, in quorum motu & vigore vita consistit, maxime qualitate sua corrumpit, exest; quantitate vero liberos eorum motus turbat, impedit, unde lerna multorum pernicissimum malorum. Quodsi autem materia jamjam in sanguinem & humores redundat, multos producit noxios effectus, humores sanos depravat, inquinat, acriores efficit; quare motus in solidis augentur, febres lentæ, hecticæ accenduntur, quæ solida cum fluidis laudabilibus fermentum consumunt, siveque hominem vita sua, lente quidem, ast satis moleste, privant. z)

## §. XVIII.

In ipsa curatione duplarem viam sibi eligere potest Medicus, unam longam, brevem alteram. Illa medicamen-

C 2

camen-

2) Historias hujus eventus tradidit BONETVS l.c. lib. 2. Scđ. 6. obf. 5. § 16.

camentis, hæc instrumentis, perficitur. Utraque autem sæpenumero effectu vacat. Semper tamen diversitas causæ, diversus mali status, consideranda sunt, & viæ, quas natura monstrat, nunquam non ingrediebæ. Quum itaque per experientiam constat, aliquando per alvum, interdum per os, interdum per urinam, purulenta a natura eliminari: Medicum hac re natu-ram sequi oportet, hinc laxantibus, expectorantibus, diureticis, morbum, nisi tollere, tamen levare; quorum recensione in nostris paginis lubenter superfedemus, & magis paulo plenius breviorem fontem, chirurgicum scilicet, eligimus, commendamus & praescribimus.

## §. XIX.

Medicus itaque, quando ex signis cognoscit (§. 12.) pus in pectoris cavo contineri; omni ope niti debet, ut illud justo citius & commode eliminet. In hunc finem, igitur,

- 1) thorax est aperiendus.
- 2) pus eliminandum.
- 3) pectus repurgandum, &
- 4) vulnus consolidandum.

## §. XX.

Thoracis aperturam triplici ratione tentarunt per-ficere veteres, cauteriis, nimirum, actualibus, potentia-libus & incisione. a) Ustiones vero in nostris delicati-oribus seculis exulent: eo magis, cum ignis admini-culo haud opus est; siquidem ferrum sanare potest hoc malum. Ut itaque pectus tuto perforari possit, æger in ventrem debet cubare, dorso aliquatenus intus fle-

xo

a) HIPPOCR. aphor. 47. Sect. 7. AETIUS Tetrab. 2. Scrin. 4. c. §7. & 65.

xo, ut carnes & integumenta minus tensa sint; deinde locus est inveniendus, quo pectus aperiri debet. Esse vero is solet inter nonam & decimam costam, b) numerando a superioribus, ad distantiam trium digitorum a vertebris c) & quatuor ab angulo inferiori omoplatae. Sunt alii in loco eligendo curiosiores, dum filum a spina dorsali ad os pectoris ducunt, in tres partes dividunt, & pectus ibi incidunt, ubi una tertia filii, a spina dorsi finitur. d) Hoc facto, Chirurgus digitis sinistræ manus cutim elevat, & ejus minister idem efficit in altero latere. Deinde Chirurgus cultro recto, cutem & adipem incidit, usque ad carnes costis interpositas. Longam oportet esse plagam, ad tres vel quatuor transversos digitos, ut commodius diduci vulnus queat. Postea, ægri alvo subjiciendum est pulvinar, quo & dorsum magis promineat, & ut altera plaga, costis parallela, qua musculi, qui inter costas sunt, & membra illas succingens, inciduntur, melius fieri possit. e)

C 3

In

- b) in loco incisionis determinando dissentientes sunt Chirurgi, dum alii inter costam 5 & 6; ali inter 7 & 8; ali inter 8 & 9, lubentius incisionem peragunt. Cum autem in loco decliviori, pus & sanguis, facilius effluent; commendamus spatium inter costam nonam & decimam, vid. BARBETTE Chir. P. I. c. 15. p. 78. in MOTTE l. c. T. II. obf. 81. 82. 83.
- c) locus incisionis, spina dorsali propriæ esse haud debet, quia alias tendines muscularum dorsalium & vasa intercostalia lœduntur, quæ non nisi ad distantiam quatuor pollicium a spine, in sulco abscondi incipiunt, & ad spinam quoque ampliora sunt.
- d) Si tumor exterius apparet, hic locum incisionis jam satis indicat, quæ statim fieri debet, simulac Chirurgo ex signis constat, tumorem ad maturationem pervenisse.
- e) Nonnulli sunt, qui acu triquetra carnes & pleuram perforant; sed hanc chirurgiam recentiores plane rejiciunt, quia tutius res potest cultro peragi. Mucro ejus, dextro indice operiri debet; & curvus magis præstat pro recto.

In hoc opere manus suspensa & cultri acies deorsum directa esse debet, simulque curari, ne costae margo, aut pulmo f) aut vasa intercostalia incidentur. Arteriam praecisam esse, ex majore sanguinis modo, qui ex vulnera fertur, maxime cognoscitur. In casu hoc aspero, vulnus nova plaga ampliari, & pulvillus, alcohole imbutus, valentius ad eam adipicari debet. g) Quodsi autem periculum urget, ad aliud auxilium veniendum est, nempe, novum vulnus, juxta prius, infra costam, & aliud supra illam, effici debet. Acus dein, qua in aneurismatis chirurgi utuntur, filum ducens, per utrumque vulnus trahicatur, & filum, in vulneribus relinquentum, submisso spleniolo, valentius constringitur. h) Si pulmo pleuræ adnatus est, digito separari debet, aut cathetere, mulieribus aptato.

## §. XXI.

Pectore inciso, pus aut alias humor, qui intus confluit, nunc educitur. Necesse autem est, ut evacuatio dividatur. Quodsi enim omnishumor protinus prorumpit; respiratio, antea impedita, diaphragma depresso, & sanguinis per pulmones motus tardior, hac re, valde alterantur, & subitaneum augmentum capiunt, quo lipothymia gravissimæ, singultus, convulsiones, oriuntur. i) Hinc vulnus per tempus aliquod

f) Si pulmo pleuræ præter naturam haud adnatus est, laxio ejus frustra metitur: nam aer, per minimam incisionem pectoris ingressus, pulmones ab omnimoda expansione coercet.

g) BELLOSTE in *Chirurgien d'Hôpital P. I. c. 8. p. 93.* pulvillum hunc digestivo prius, dein pulvere chalcynthi obdulatum admovere suevit.

h) Novum adhuc ferramentum excogitatum fuit; quod, lino præditum, demittitur, absque quod novum vulnus prius sit faciendum. vid. GAREN-  
GEOT *Tr. des Operat. T. II. p. 430.* i) HIPP. *Sed. 6. aphor. 27.*

quod apertum relinquere debet, ut paulatim, moderatis portionibus, effluere possit humor. Ad hunc scopum obtinendum, ii, qui acu triquetra pectus perforare solent, cannulam in foramine reliquunt, educta acu; deinde, parte humoris effusa, quantam vires ægri permittunt, cannulam eximunt & plumbeam immitunt, cuius foramen linteo carpto obturant, & omnia emplastro & scapulari muniunt, donec sub proximis deligationibus, reliqua pars, per vices, emissâ fuerit. At enim vero cum hæc chirurgia suis haud desituatur incommodis, dum pulmones, intra expandendum, cannula vehementer irritantur, insuper labia vulneris comprimitur, indurantur, & inde dolores ægro excitantur; k) hinc merito a Gallis imprimis hodie negligitur, qui loco cannulæ, linteolo cæstio utuntur, l) cuius margines in fila resoluti sunt; lino etiam munitum est, quod extra plagam relinquitur, ne illud in pectus devolvatur. Superimponuntur pulvilli aliquot molles, spiritu quodam aromatico imbuti; superhabentur his panni quadrati, & injicitur mantile cum suspensorio. Præterea vulneratum semper oportet in vulnus inclinatum esse. Si humor, intus collectus, spissus admodum atque tenax est, lotiones injiciendæ sunt, quæ diluunt, abstergunt & putredini resistunt. In hoc casu PLATNERVS commendat decoctum ex hordeo, floribus verbasci, rad. altheæ. m) Si vero putredo jam præsens est, adjici potest mel, vel aqua vulneraria &

parum

k) ex hac ratione etiam turundæ rejiciuntur.

l) Iconem dedit Jo, Zach. PLATNERVS in Ins. Chirurg. Tab. I. fig. 54

m) I. c. §. 638.

parum salis ammoniaci. Curari autem debet, ne lotiones, acrimonia sua aut quantitate noceant, & ne pulmones his nimis irritentur, & inflammationem inde accipient. Iniectione facta, vulnus ad aliquod tempus obturatur, ne nimis cito effluat, antequam effectum præstiterit.

## §. XXII.

Ubi omnis humor fuit evacuatus, vulnus conglutinandum est. Ad id multum confert, si raro resolvitur; semel tantum dedie, aut tardius. Necesse quoque est, ut aër in deligatione, summa cura avertatur; quod optime fit, igne admoto. Insuper deligatio semper accelerari debet. Haud ignorari quoque oportet, ut, quo tempore vulnus tegendum est, æger monetur, ut spiritum hauriat & contineat, quo aër, qui introrupit, extundatur & humoris effluxus promoteatur.

## §. XXIII.

Nosse tandem convenit, ex qualitate puris, quod effluit, judicari posse, an æger convalitus sit, nec ne? Nam, si pus albidum est, crassum, lœve, purum, consistentia & colore lactis florem referens, n) omnis foetoris expers, specillum non colorans; spes salutis recuperandæ adest: si vero foetidum, varie coloratum, subcruentum, ichorosum est, & specillum instar ignis colorat; certum perniciei indicium præbet. o) Ultimo monendus est chirurgus, ne, in justo tempore, artem suam exerceat, siquidem mortem hac chirurgia accelerare potest; si, viribus ægri jam collapsis, alvi fluxu colliquativo jam præfente, & capillis decidentibus, illam adhibere velit.

## T A N T V M.

n) HIPP. Canc. prænot. §. 412.

o) Id. Scđ. 7. apb. 44.


01 A 6602

ULB Halle  
002 932 512

3







DISSESSATIO MEDICA IN AVGVRALIS

# DE EMPYEMATE

QVAM,  
CONSENSV  
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ  
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA  
PRAESIDE

DN. D. HERM. PAVLO IVCHIO

SACRI PALATII CAESAR, COMITE  
FACVLT. MED. SENIORE ET ASSESSORE PRIMARIO  
PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROFESS. PVBL. ORD.  
SERENISS. SAXON. DVC. VINAR. ET GOTH. CONSILRAR. AVL. ET ARCHIATRO  
NEC NON ACAD. CAESAR. NAT. CVRIO. COLLEGA  
PATRONO ET PROMOTORE SVO ÆTATEM  
DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS  
ET IMMVNITATIBVS  
PVBLICE RITE CAPESSENDIS  
PLACIDÆ ERUDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

AVCTOR  
IOH. CHRISTOPH. HENNIGK

LIEBENWERDENSIS-SAXO.

IN AVDITORIO MAIORI COLLEGII MAIORIS  
HOR. CONSVENT.  
DIE IV. MAII ANNO M DCC XLVIII.

ERFORDIAE  
TYPIS IO. CHRISTOPH. HERINGII ACAD. TYPOGR.